

I.M. Vosté

Concilium Hierosolymitanum : Act. Ap. XV, 1-35

Collectanea Theologica 12/2-3, 153-189

1931

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez **Muzeum Historii Polski** w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

CONCILIIUM HIEROSOLYMITANUM.

ACT. AP. XV, 1—35.

Introductio. — Inde a capite XIII Actuum Apostolorum usque ad finem narrantur *acta Pauli*, seu eiusdem ministerium inter Gentes. Capite IX quidem relata est iam eius miraculosa conversio, sed non statim egit ut apostolus: vocatus et segregatus est ceu Christi instrumentum electum pro futura conversione Gentium et universali diffusione Evangelii.

A Sancto Petro, manifesto agente ut Christi vicario et Apostolorum principe, introducitur illud paulinum ministerium, dum incircumcisum Cornelium baptizat: hinc concludet Gentes ad gratias regni messianici esse vocatas sine Lege; ergo abrogata est Lex, ubi venit Christus eiusque regnum (cap. X—XI, 18; XV, 7—11).

Interim qui dispersi fuerant, saeviente persecutione Hierosolymis propter Stephanum, ascenderunt usque ad Antochiam Syriae ubique praedicantes verbum Dei (XI, 19). Ita a Luca narrantur Ecclesiae tribulationes, ut appareant — prout revera sunt — media diffundendi Evangelii. Acta Apostolorum enim sunt acta Spiritus Sancti, seu historia divina itineris triumphalis Evangelii usque ad ultimum terrae.

Post Hierosolymas igitur, unde est salus; post Hierosolymas, quae fuit metropolis primitivae ecclesiae iudaeo-christianae; Antiochia erit tamquam secunda statio Evangelii convertentis mundum, metropolis ecclesiae ethnico-christianae, centrum ministerii paulini, usque dum perveniat Romam, unde Christus dominabitur Orbi.

Primum iter Apostolicum inter Gentes. — Missi atque impulsivi a Spiritu Sancto, ab Antiochia proficiscuntur Barnabas et Saulus navigantes in Cyprum; indeque pergunt in Pamphyliam, ubique statim ingredientes synagogam ut Iudaeis primo Christum praedicarent (Act. XIII, 4 sq.). At Antiochiae Pisidiae Iudaei, invidia repleti et obcaecati, contradicebant Paulo blasphemantes: „Tunc

aperte Paulus et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad Gentes. Sic enim praecepit nobis Dominus:

*„Posui te in lucem Gentium,
ut sis in salutem usque ad extremum terrae“* (XIII, 46—47).

Hinc ergo profecti sunt in Iconium; at Iudaei insequuntur eos de civitate in civitatem. Confugiunt ad Lycaoniae urbes, Lystram et Derben (XIV, 6); sed iterum mox eo adveniunt Iudaei, Evangelium destruentes.

Tunc reversi sunt Apostoli per eandem viam „confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide“ (XIV, 22). Cum autem venissent Antiochiam, convocata ecclesia, retulerunt quanta fecisset Deus cum eis, et *quia aperuisset Gentibus ostium fidei* (XIV, 27).

Concilii occasio et finis. — En prima Pauli missio inter Gentes: haud ad mosaicam Legem vocantur prius, deinde ad Gratiam; sed de observanda Lege ne verbo quidem facto, statim ad Gratiam fide obtinendam invitantur: „In Iesu omnis, qui credit, iustificatur“ (XIII, 39). De facto igitur abrogata est Lex...

Hinc irae Iudaeorum. Mox et Hierosolymis audiunt a Paulo praedicari et offerri messianicam salutem sine Lege mosaica. Commota est universa Palaestina, et iam in omnibus Synagogis resonat Tarsensis nomen ceu apostatae et destructoris Legis. Volebant quidem Iudaei, semper plures numero, Iesum ceu Messiam agnoscere; dummodo tamen Moysen non supplantaret. Volebant quidem et dicebant, iuxta prophetas, ad Gentes deferendam esse salutem messianicam, dummodo tamen Gentes observarent Legem et observantiis fierent Iudaei. Iamiam filii Israel somniabant de universali regno davidico per Messiam inaugurando.

Numquam cognovit Evangelium spirituale et universale Christi gravius magisque imminens et intimum periculum: periculum inhaerens transitu a Vetere ad Novam oeconomiam salutis, periculum insidians ipsi naturae regni Christi seu Ecclesiae¹⁾.

¹⁾ Idem legimus apud cl. P. V. McNabb, *The New Testament Witness to Saint Peter* (1928), p. 79—80: „It was more than a critical question; it was even a vital question on which would depend the future of self-existence of the Church of Christ. No crisis in the history of the Church has been

Remanente Lege ceu condicione salutis, revera Ecclesia Christi remansisset coetus orientalis, religio nationalis.

Nunc igitur ut percurrat Evangelium viam suam per univ-
sum mundum, oportet definitive et in concreto solvatur momentosa
quaestio de habitu gratiae ad Legem.

Lex ad tempus erat data, usque dum veniret salus Messiae.
Venit Messias; ideo Lex est abrogata. Lex revera non erat nisi
praeparatio et umbra futurorum bonorum; ubi apparet sol, eva-
nescit umbra. At Iudaei, qui per saecula spem messianicam servave-
rant; Iudaei, qui credebant privilegia sua esse exclusiva, erant caute
tractandi et parcendi, ne statim in universali Christi regno fieret
schisma. Quam prudenter vero et simul audacter egerint Apostoli,
videbimus in sequentibus.

Divisio textus:

- I. Causa concilii, v. 1—5:
- II. Concilium, v. 6—21;
- III. Decretum, missio Iudae et Silae, v. 22—29; 30—35.

§. 1. Causa concilii, v. 1—5.

1. *Et quidam descendentes de Iudaea, docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi non potestis salvari. — Nota philol.* Iterum notetur heic haberi *ὄτι* recitativum (*quia...*), cuius sensus sufficienter redditur duplici puncto, introducta oratione directa.

Quidam illi (*τινες* haud sine despectu) sunt iudaeo-christiani, et quidem de Pharisaeorum secta, prout apparet ex versu 5. Ab Ierusalem descenderant in Antiochiam, ubi praedicabat Paulus salutem sine circumcissione obtinendam; illi vero *sine mandato apostolico* (v. 24), quos Paulus vocat Gal. II, 4. *subintroductos falsos fratres*; illi, inquam, praedicabant absolutam necessitatem circumcisionis pro salute.

Ponitur ideo quaestio de habitu Legis ad gratiam, seu de abolitione vel permanentia Legis, de independentia aut dependentia Gratiae a Lege. Quaestio, prout notavimus iam, gravissima, cohaerens

fraught with such danger to the Church's very existence". Cf. Sabatier, L'Apôtre Paul (ed. 4, 1912) p. 116—117.

transitui a vetere ad novam oeconomiam salutis, et respiciens ipsam naturam regni messianici seu Ecclesiae.

2. *Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabae adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis ad Apostolos et presbyteros in Ierusalem super hac quaestione.* — *Notae philol.* 1) Ubi Vulgata legit: *facta seditione non minima Paulo...*, graece habetur *γενομένης δὲ στάσεως καὶ ζητήσεως...*, id est: *facta controversia et disceptatione non minima Pauli et Barnabae cum illis.* — 2) Lectio Vulgatae S. Clem.: *alii ex aliis*, manifeste est mendosa. Graece enim legitur *ἄλλους ἐξ αὐτῶν*, id est: et quidam alii *ex illis*, ex illis nempe fratribus qui statuerunt consulendos esse Apostolos in Ierusalem; haec est revera lectio editionis criticae Vulgatae WW.

Paulus se id iter *κατὰ ἀποκάλυψιν* fecisse dicit (Gal. II, 2), neque profecto erat cur illis dicto audiens esset, nisi propriae rationes accessissent; ita Blass concise atque optime. — Inter illos autem, qui comitarunt Paulum et Barnabam, nominatur, in ep. ad Gal. II, 1, 3, *Titus* qui ideo supponitur fuisse Antiochenus, natus Gentilis.

De *anno* huius itineris S. Pauli in Ierusalem, seu ipsius concilii apostolici, sequentia breviter notentur.

α) Ex synchronismo cum proconsulatu Gallionis in Achaia (anno 51—52) poni potest concilium circa annum 49³⁾. Nam Pauli accusatio coram Gallione (Act. Ap. XVIII, 12—17) locum habuit secunda missione apostolica properante ad finem. Terminus *a quo* autem istius secundi itineris est concilium hierosolymitanum.

β) Alia determinatio chronologica habetur in epistula ad Galatas, cum relatione nempe ad Pauli conversionem.

Gal. II, 1 legitur: „*Deinde post annos quattuordecim, iterum ascendi Hierosolymam...*“. A quonam termino, anno aut eventu, numerandi sint hi anni quattuordecim, disputatur. Aliqui dicunt a primo itinere de quo ibidem, Gal. I, 18, quod Apostolus fecit *tertio anno* post conversionem, ita v. gr. Cornely, Lagr.; — dum

³⁾ Cf. nostrum Commentarium in ep. ad Thessal. (1917) p. 12—13. Conclusiones nostrae circa chronologiam paulinam magna ex parte nituntur inscriptione delphica, circa quam cf. A. Brassac, Une inscription de Delphes et la chronologie de Saint Paul, R. B. XXII (N. S. X, 1913) p. 36—53, 207—217. Videsis F. Prat, La Chronologie de l'Age Apostolique, Recherches de sc. rel. III (1912) p. 372—392.

alii annos quattuordecim computant a conversione, ita praeter alios cl. P. Prat.³⁾.

Si a conversione, prout nobis probabilius videtur, tunc ponitur conversio circa annum 36. Tertio anno postea, cum fugit Paulus e Damasco, haec civitas potuit pertinere regi Aretae (cf. II Cor. XI, 32), qui civitatem istam obtinuit Tiberio mortuo an. 37.

Sin vero computantur quattuordecim anni a primo itinere, tunc ponenda foret conversio anno 16 vel 17 ante 49, seu anno 32 vel 33, et fuga e Damasco anno 35 vel 36. Hoc autem impossibile videtur, cum Aretas tunc nondum obtinisset Damascum, vivente Tiberio⁴⁾.

Mittuntur ergo Paulus et Barnabas ad Apostolos, quia quaestio gravissima erat solvenda, quae spectabat totam Ecclesiam eiusque veram naturam et futurum incrementum. Hoc recursu probatur auctoritas apostolici collegii, praecipue vero S. Petri.

3. *Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant Phoenicem, et Samariam, narrantes conversionem Gentium; et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.* — Omnino spontaneum et naturale est gaudium fratrum Phoenices et Samariae, quia hi non poterant consentire Iudaizantibus: Phoenicei enim erant ethnico-christiani; et Samaritani, qua tales, ceu schismatici et hybridi erant Iudaeis. Peregrinantur autem Paulus et Barnabas *deducti ab Ecclesia*, id est, sociis acceptis, quod fiebat tam ad honorem quam ad commodum, quin loquamur de maiore auctoritate sic data missis illis, Paulo et Barnabae.

4. *Cum autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, et ab Apostolis et senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis.* 5. *Surrexerunt autem quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderunt (WW. crediderant, seu qui erant de numero credentium) dicentes: Quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare legem Moysi.* — Bene notetur illos suscipi „*ab Ecclesia et ab Apostolis et a presbyteris*“; litigantes protestatarii non sunt nisi illi quidam Pharisaeo-christiani. Quidam ergo *de secta Pharisaeorum* crediderunt in Iesum Messiam; at statim apparet illos adhuc Moysen exaltasse super Messiam; cum hic,

³⁾ Dict. de la Bible, Supplément Pirot, ad v. Chronologie, t. I col. 1287.

⁴⁾ Schuerer, Geschichte des jüd. Volkes I (3—4 Auflage 1901), p. 737; Brassac, loc. cit. p. 209 sq.

iuxta eos, dependeret ab illo, gratia a Lege: revera non videntur somniasse nisi supremum triumphum Legis, subiciendo Gentiles Legi, Israeli aggregando Gentiles subiectos Legi.

De *presbyteris* prima vice fit mentio in Actis Cap. XI, 30. Postea, in primo itinere apostolico, Paulus et Barnabas per manuum impositionem constituerunt per varias ecclesias presbyteros, XIV, 23. Ergo presbyteri per ritum sacrum ordinantur et deputantur in ministerium sacrum. Mileti convocatos presbyteros ephesinos (XX, 17) alloquitur Paulus eosque vocat *ἐπισκόπους*, etymologice: *inspectores* (*ibid.* 28; comp. Tit. I, 5, 7). Unde merito scribit cl. Ruffini: „Gli è perciò con ogni fondamento che la maggior parte degl' interpreti, antichi e moderni, afferma la sinonimia dei nomi *ἐπίσκοπος* e *πρεσβύτερος* negli scritti apostolici“⁵⁾.

Knabenbauer et Jacquier subtilius heic distinguunt tres varios congressus: primo congressum publicum, v. 4—5; deinde congressum peculiarem Apostolorum, v. 6; demum congressum alterum publicum, v. 7—22.

At subtilius, inquam, et omnino immerito hoc fit. In v. 4—5 enim non habetur nisi introductio causae concilii; repetitur nempe, cum venissent Paulus et Barnabas Hierosolymas, quod dictum est supra v. 1 cum adhuc essent Antiochiae. Tam verum hoc est ut aliqui, pauci tamen, versum 5 habeant ceu sermonem directum, subaudito: *et dicebant...* — Similiter v. 6 minime distinctus congressus habetur a sequentibus; non enim soli Apostoli et presbyteri heic deliberant privatim, prout et Blass observat, sed adest iam universa ecclesia hierosolymitana.

§ 2. Concilium, v. 6—21.

Cum igitur convenissent omnes (v. 6), vehemens discussio exorta est. *Primus* loquitur Petrus, (v. 7—11), cuius verba confirmantur a Barnaba et Paulo (v. 12). *Deinde* loquitur Iacobus, utpote praepositus ecclesiae hierosolymitanae et magni habitus a Iudaeo-christianis (v. 13—21).

⁵⁾ La Gerarchia della Chiesa negli Atti degli Apostoli e nelle lettere di S. Paolo (Lateranum 1921, 1) p. 75. — Praeter testimonia ibi allata, placet heic etiam afferre conclusionem E. Jacquier: „Les mêmes personnages peuvent donc être qualifiés tantôt de *πρεσβύτεροι*, tantôt de *ἐπίσκοποι*, ce qui indique qu' à ce moment-là ils n' étaient pas différenciés; ils ne l' étaient pas encore au temps des épîtres de Paul et de la Didaché“ (Les Actes des Apôtres 1926, p. CCXVIII).

6. *Convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc, id est, de causa hac vel questione.*

1. — *Loquitur Petrus, v. 7—11.*

7. *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis eligit per os meum audire Gentes verbum evangelii et credere.* — *Notae philol.* 1) Loco Vg. *in vobis*, legendum est secundum textum graecum *ἐν ὑμῖν: in vobis.* — 2) Vox *εὐαγγέλιον* hic tantum ubi loquitur Petrus, et XX, 24 loquente Paulo, sed non alibi in Actibus. Numquam in evangeliiis Lucae et Ioannis, vox autem frequentissima in epistulis paulinis ubi sexagies occurrit. Apud classicos significat *praemium* pro bono nuntio; mox autem eius sensus extensus est ad *ipsum bonum nuntium*; qualis est sensus paulinus⁶⁾.

Facta ergo controversia, cuius obiectum cognoscimus, Petrus, utpote primus ac caput collegii apostolici, cum auctoritate loquitur et questionem dirimit. Alludit autem ad conversionem Cornelii relatam supra cap. X; occasione huius facti enim Deus Petro signum dederat de admittendis Gentilibus in Ecclesiam, quin ad Legem attenderet. Ideo iam *ab antiquis diebus*, seu iam a multo tempore (tempore fere conversionis Sauli cap. IX; seu abhinc ad minus quattuordecim annis) Deus *sibi elegit inter vos, ἐν ὑμῖν ἐξελέξατο*, ut per me gentes ad fidem vocarentur. Ergo casus Cornelii non iam habetur ut exceptio, sed tamquam revelatio principii generalis de conferendo baptismo absque circumcissione. Ideoque Petrus constitutus est introductor ministerii paulini inter gentes; hoc iterum probat eius primatum quoad et supra ceteros Apostolos. „*Per os meum.* Vide, observat Chrysostomus, quomodo ostentat Deum per se locutum, et nihil humanum“⁷⁾.

8. *Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut et nobis.* 9. *Et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum.* — Signum manifestum voluntatis suae, de admittendis scilicet Gentibus ad fidem sine Lege, Deus ostenderat dando Cornelio eiusque familiae Spiritum Sanctum, donum antonomastice messianicum. Attamen Cornelius paganus

⁷⁾ Cf. nostrum Comm. in ep. ad Tessal (1917) p. 64-65.

⁸⁾ In Acta hom. 32, 1 (P. G. LX, col. 235).

erat, minime subiectus mosaicae Legi. Ergo Deus, cordium scrutator et non speciei tantum acceptator, non discrevit inter circumcisos nos, Legis observatores, et illos paganos qui Legem nesciunt: unde *fide*, observa hanc vocem emphatice positam initio; *fide*, non Lege aut circumcisione, purificavit corda; *fide*, inquam, seu sequela doctrinae et praeceptorum Christi; *fide*, quae per caritatem nos conformes facit Christo et Deo.

Observant hanc doctrinam *paulinam* de iustificatione per fidem a Luca, Pauli discipulo, heic Petro imponi. At, ubi Legi cum suis observantiis exterioribus opponitur fides Christi, non agitur neque de paulina neque de petrina doctrina, sed simpliciter de essentiali christiana doctrina: abrogata lege, data in praeparationem Messiae, nunc regnat Christus eiusque gratia ac fides.

10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* — Hucusque Petrus, per factum Cornelii, ostendit legem iam non obligare. Huius abrogationis nunc adiungit rationes internas: heic, in v. 10, ex parte Legis, iugi intolerabilis⁸⁾; deinde, v. 11, ex parte novae oeconomiae, in qua salvamur per gratiam Messiae.

Populus israeliticus revera numquam legi fidelis fuerat, prout illos Stephanus acriter vituperavit: „Accepistis legem... et non custodistis“ (VII, 52); similiter Dominus loquens Iudaeis congregatis in templo: „Nonne Moyses dedit vobis legem? et nemo ex vobis facit legem“ (Ioan. VII, 19). De hoc intolerabili pondere legis Paulus pluries quaeritur, v. gr. Rom. II, 17—24; VII; eamque contemptim vocat *iugum servitutis* (Gal. V, 1).

Istud autem verbum Petri, in his circumstantiis, non erat absque vituperatione istorum falsorum fratrum, qui volebant legem omnibus esse imponendam.

11. *Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum illi.* — „Libra haec Petri verba, ita Caietanus; et perpendes nec ad Gentilium nec ad Iudaeorum salutem spectare legalia. Expresse enim dicit quod nos Iudaei credimus salvari quemadmodum et illi (scil. Gentiles) per gratiam Domini nostri Iesu Christi. Pedetentim Petrus processit, *primum* ostendens ex

⁸⁾ Circa metaphoram hanc iugi pro Lege, cf. commentarium nostrum in Parabolas, II, p. 320—322.

divino testimonio legalia non esse necessaria Gentilibus, et *demum* concludit quod nec Iudaeis sunt salutaria ex eo quod credimus omnes salvari per gratiam Domini nostri Iesu Christi“.

His verbis enuntiatur a Petro substantia totius fidei christiana: *per gratiam Iesu Christi*, Salvatoris, salus nobis confertur. Hoc erit supremum dogma praedicationis paulinae. Cum autem Petrus praecipue invocet visionem sibi concessam ad baptizandum Cornelium paganum, manifeste apparet ministerium paulinum introductum esse divinitus per ministerium et verbum Petri.

12. *Tacuit autem omnis multitudo; et audiebant Barnabam et Paulum narrantes quanta fecisset signa et prodigia in gentibus per eos.* — Auditis verbis S. Petri, sedata est multitudo; tanta erat eius auctoritas, et quidem in re summi momenti. Haec Petri verba nunc confirmantur a Barnaba et Paulo, narrantibus signa et prodigia Dei inter Gentes: his enim omnibus Deus voluntatem suam manifestavit de admittendis Gentibus sine Lege.

2. — *Loquitur Iacobus*, v. 13—21.

13. *Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus dicens: Viri frates, audite me.* — Hic Iacobus erat *frater Domini*, occisus est Hierosolymis ab Anano summo pontifice, filio Annae, quem ex historia passionis Iesu novimus. Martyrium Iacobi ponitur anno 62. Propter sum singularem virtutem vocabatur *iustus*; atque destructio templi postea considerata est a populo tamquam punitio divina ob eius mortem cruentam⁹⁾.

Loquitur autem Iacobus, statim post Petrum, cum auctoritate; nam in singulari aestimatione habebatur ab omnibus, tamquam frater Domini, iustus, et episcopus Hierosolymitanus; prout apte notat Knabenbauer: „eius... auctoritas, utpote legis observantissimus, plurimum valebat apud iudaizantes“. — Refert Iacobus sententiam Petri tamquam nisam revelatione divina, eamque confirmat allegato testimonio prophetarum; demum addit temperamentum caritatis ad vitandum scandalum eorum qui Legi addicti remanserant.

14. *Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo.* — Verbum *visitavit*

⁹⁾ Cf. Flav. Ios., Antiq. XX, 9, 1; Eusebius, Hist. Eccl. (citato Hegesippo) II, 23, (P. G. XX, col. 195—206); Schuerer, op. cit. I, p. 581—582; E. Ermoni, Saint Jacques (le Mineur) in Dict. Bible Vig. III, col. 1084—1088.

ἐπεσέψατο, reddit semitismum *paqad*, i. e. *prospexit, curavit*. — Heic vero Petrus designatur nomine suo hebraeo *Shim'on*, quia ipse Iacobus Hebraeus loquitur Israelitis hebraeo vel aramaico sermone.

15. *Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est.* Hac generali denominatione *prophetarum* designatur secunda pars canonis hebraei: *nebiim*. Citatur autem Amos IX, 11—12 secundum versionem septuagintaviralem, satis libere tamen, prout mox videbitur.

16. *Post haec revertar,
et reaedificabo tabernaculum David, quod decedit;
et diruta eius reaedificabo,
et erigam illud;*

17. *Ut requirant ceteri hominum Dominum,
et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum,
dicit Dominus faciens haec.*

α) *Examen litterarium.*

1. Si graecus textus N. T. referatur ad LXX, statim apparet quidem certa litteraria dependentia vel reminiscentia; attamen prior pars in multis differt (*Act.* 16 et *Sept.* 11). — Posterior vero pars (*Act.* 17 et *Sept.* 12) utrobique ad verbum concordat, si pro LXX sequamur cod. Alexandrinum. Atqui in hac altera parte est totum momentum citationis prophetae, cum haec verba manifesto annuntient universalitem salutis messianicae.

2. Versio LXXviralis tamen differt a textu hebraico, qui ita vertendus est: „*ut possideant reliquias Edom et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum*“, seu quae mihi pertinent.

Septuaginta igitur loco *jreshu* (*possideant*) legerunt *jdreshu* (*requirant*); et pro *Edom* legerunt *adam* (*hominum*). Nonobstante particula accusativi quae hebraice legitur ante *Edom*, istud *adam* sumpserunt tamquam subiectum praecedentis verbi, addito, obiecti instar, nomine *Dei*¹⁰).

β) *Applicatio doctrinalis.*

1. In textu hebraeo, quo Iacobus usus est, non tam clare quidem praedicitur universalitas salutis messianicae quam in texto

¹⁰) A. Van Hoonacker, *Les Douze Petits Prophètes* (1908) p. 283.

graeco LXXvirali. Attamen utrobique praedicatur pro tempore messianico, indicato consueta expressione *post haec* vel *in novissimis diebus*, — α) restauratio regni David, quod est regnum messianicum (Luc. I, 32); — β) praedicatur regnum restauratum Davidis-Messiae esse extendendum super reliquias Edom et super omnes gentes. Annuntiatur ergo universalitas regni messianici: quod intento Iacobi et Lucae heic sufficit.

2. Inde hypotheses Blass videntur inutiles, sicut sunt omnino improbables. „Num igitur Iacobus, quamvis Hebraeus, qui in hac quoque oratione patria lingua usus esse putandus est, prophetarum versionem tantum graecam legebat? an in eius exemplo hebraica eadem inerant corruptelae? an Lucas parum fideliter orationem retulit?“ Iacobus, Hebraeus loquens Iudaeis in Ierusalem, evidenter citavit textum hebraicum; Lucas autem sequitur LXX, scribens pro ethnico-christianis. At quoad doctrinam inculcandam uterque textus substantialiter concordat¹¹⁾, prout apparet etiam ipso usu talmudico (Gn. R. 88) aptanti textum futuro regno universali Messiae¹²⁾.

18. *Notum a saeculo est Domino opus suum.* — Hae verba non leguntur apud Amos neque hebraice, neque graece. Ipsa forma textus graeci est incerta. Multi recenter ita legunt: λέγει κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα 18. γῶσι ἀπ' αἰῶνος, *dicit Dominus faciens haec — nota a saeculo!* Ita v. gr. Nestle, Vogels, von Soden, post Tischendorf. At hanc lectionem habet Zahn „sachlich und sprachlich unmöglich“. — Proponit ergo legendum, prout revera habet latina Vulgata: γῶσι δὲ ἀπ' αἰῶνος τῷ Θεῷ (vel κυρίῳ) τὸ ἔργον αὐτοῦ. Haec est apta Iacobi confessio, quae tamquam *Amen* resonat post citatam prophetiam. Simul est conclusio, qua declaratur quaevis resistentia divinae voluntati et Gentium conversioni inutilis: a saeculo hoc Dei opus est praedictum et omnibus est notum!

19. *Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, 20. sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis et sanguine. 21. Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* — Haec est conclusio S. Iacobi, quae affirmat

¹¹⁾ Cf. Lightfoot, Horae Hebraicae et Talmudicae, ad Act. XV, v. 17.

¹²⁾ Videsis Strack-Billerbeck, Kommentar, ad h. l. II, p. 728—729.

quidem generalem abolitionem Legis quoad Gentiles, ad tempus tamen imponuntur eisdem quaedam propter fratres e Iudaismo oriundos et adhuc Legem servantes. In his versibus igitur tria continentur: 1) regula generalis: non sunt inquietandi qui ex Gentibus convertuntur ad Deum; — 2) restrictiones quattuor; — 3) ratio harum restrictionum. Haec verba mox scripto consignabuntur mittenda ad Antiochiam (v. 28—29), prout commendat Iacobus: mittere ad eos scriptum, *ἀλλὰ ἀποστείλαι αὐτοῖς*.

Primo. — Regula generalis, v. 19: Non sunt inquietandi qui ex Gentibus convertuntur ad Deum. Ergo proclamatur non obligatio Legis pro ethnico-christianis. De iudaeo-christianis heic non est quaestio. De cetero non propter conversionem Iudaeorum orta est quaestio, sed propter Gentilium conversionem et admissionem in regnum Christi. Iudaeo-christiani tamen, invidia et zelo moti, quaestionem moverant. Hi ergo contradicuntur, dum Gentilibus favet generale principium non imponendae Legis.

Secundo. Restrictiones quattuor sunt sequentes, v. 20.

1. *Ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum:* *ἀπέχεσθαι τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων*. Infra, v. 29, clarius dicitur verbo technico, formali: *εἰδωλοθύτα*, id est, *carnes idolis consecratae*; item XXI, 25. Cf. I Cor. VIII, 1, 4, 7, 10; X, 19; Apoc. II, 14 et 20.

2. *a fornicatione:* *τῆς πορνείας*, quod intellegendum videtur sensu litterali obvio de concubitu extra matrimonium. Hoc quidem lege naturali prohibetur; at scimus mores paganorum tunc eo delapsos esse, ut fornicationem ceu licitam vel saltem tamquam indifferentem considerarent. Sic, v. gr., in *Adelphis* Terentii, Micio senex non erubescit declarare:

Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
 Scortari; neque potare, non est; neque fores
 Effringere. Haec si neque ego, neque tu fecimus,
 Non sivit egestas facere nos... (I, 2, 21—24).

Atque Cicero, disertus vindex iuris laesi, audet scribere: „Verum si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum iuventuti putet, est ille quidem valde severus, negare non possum; sed abhorret non modo ab huius saeculi licentia, verum etiam ab maiorum consuetudine atque concessis. Quando enim hoc factum non est? Quando reprehensum? Quando non permissum? Quando

denique fuit, ut, quod licet, non liceret (*Pro Coelio* 20)¹³⁾. Unde merito scribit Clemens Alex.: „et nefandam voluptatem appellant indifferentiam, *ἐὐκολίαν*“¹⁴⁾. S. Paulus saepe atque instanter contra turpe istud vitium pugnat, ubi scribit neophytis oriundis ex Gentilitate, cf. I Cor. V. 1 sq.; VI, 9—10; 12 sq., X, 6—8; Gal. V 19—21; I Thess. IV, 3 et alibi.

Aliqui voluerunt hoc loco *fornicationem* intellegendam esse de idololatria, de falsorum numinum cultu, seu de infidelitate erga Deum unum ac verum; quo sensu frequenter in Vetere Testamento relationes inter populum et Iahveh sub imagine matrimonii describuntur. — At ethnico-christiani, quibus mittendum est apostolicum decretum, hoc numquam intellexissent. De cetero, iam conversis ad Iesum, undecumque venerint, prohibitio idololatriae non erat denuo inculcanda.

Demum nonnulli, olim v. gr. iam Lightfoot¹⁵⁾ ac recentius plures, inter quos Cornely, Holtzmann, Reuss, Ramsay, Loisy, Strack-Billerbeck, vocem istam extendunt ad nuptias intra gradus prohibitos, secundum Lev. XVIII, 6—18. Omnes enim hae prohibitiones, aiunt illi, relativae sunt quoad scandalum Iudaeorum vitandum. At iterum heic valet quod iam diximus: quomodo ethnico-christiani illud intellexissent? Iterum de hoc infra.

Bentley pro *πορνεία* proposuit legendum *χοιρεία* vel *πορρεία*, i. e. *carnem suillam*. At sicut facilior correctio nullo textu antiquo comprobatur, ita (immo et propterea) a nullo exegeta refutatione digna iudicatur.

3 et 4 *a suffocatis*: τοῦ πικτοῦ; et *a sanguine*: καὶ τοῦ αἵματος. *Suffocata* ceu illicita habebantur, quia continebant *sanguinem*. In priore ergo prohibentur carnes non effuso sanguine; in altero autem ipse sanguis. Notum est enim, antiquos in sacrificiis quandoque bibisse vinum cum sanguine mixtum. Atque referunt historici, vino permixtum sanguinem sceleratis foederibus sancendis adhibitum fuisse¹⁶⁾. — Ratio autem huius prohibitionis, secundum hucusque perseverantem opinionem Semitarum, legitur Lev. XVII, 11: „Quia anima carnis in sanguine est; et ego dedi

¹³⁾ Cf. Knabenbauer, Com. p. 166; Jacquier, op. cit. p. 456.

¹⁴⁾ Paedagogi I. III, cap. III (P. G. VIII, col. 285—586).

¹⁵⁾ Notatu dignum est ei contradicere Schoettgen, Horae I. p. 468—469.

¹⁶⁾ Cf. Pitisco, Lexicon Antiq. Rom. III, p. 336 a.

illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit“. Ergo sanguis intellegitur esse sedes animae viventis, quae Dei est ac Deo offerenda est super altare. Prohibitio ista comedendi suffocata aut bibendi sanguinem pluries legitur in lege mosaica, v. gr. Gen. IX, 4—5; Lev. III, 17; XVII.

Cum prohibitio sanguinis iam supponatur in prohibito suffocato, S. Ioannes Chrys. et alii multi intellexerunt abstinentiam *a sanguine* de prohibitione *homicidii*. De quo mox plura.

Tertio. Ratio quare ista quattuor sint prohibenda, videtur a Iacobo exprimi in v. 21; est *ratio caritatis propter vitandum scandalum*: Moyses enim Iudaeis praelegitur singulis sabbatis in synagoga. Commercium autam pacificum inter ethnico-christianos et Iudaeo-christianos omnino impossibile foret, si ethnico-christiani non abstinerent ab illis a quibus maxime abhorrebant Iudaei universi. Sicut ergo hi non possunt Gentilibus imponere legem tamquam saluti necessariam; ita et Gentiles propter scandalum vitandum, et ideo ad tempus, omittere debent quae magis offendere possent Iudaeos. Si tanta prudentia et caritate usi non essent Apostoli, periculum schismatis in primitiva ecclesia magnum fuisset inter christianos tam diversarum consuetudinum ac regionum.

Ita igitur, cum plerisque, intendimus v. 21 de ratione quattuor prohibitionum, quae est ratio caritatis seu vitandi scandali. Alii tamen aliter eundem versum explicant. Sic v. gr. Blass censet, v. 19—20 respicere utique Gentiles qui ab istis abstinere debent; v. 21 autem respicere Iudaeos pro quibus, ita Iacobus, nihil speciale est praecipendum, quia ipsi audiunt singulis sabbatis Moysen; illi ergo reliqua quoque praecepta omnia observare debent. Ita etiam Zahn. At de Iudaeis directe non agitur in concilio vel dando decreto, sed tantummodo de Gentilibus: horum habitus ad Legem est ordinandus, non illorum.

§ 3. Decretum. Missio Iudae et Silae, v. 22—29; 30—35.

De Gentilium habitudine ad Legem decreverunt Apostoli et presbyteri (v. 6), atque locuti sunt primo Petrus deinde Iacobus: proclamata a Petro Legis non-obligatione quoad Gentiles, tacuerunt omnes in signum obsequii et consensionis (v. 12); ne autem fieret christiana societas Iudaeis nimis onerosa et scandalosa, proposuit

Iacobus Gentilibus imponendas esse supradictas quattuor prohibitiones (v. 19—22).

Nunc igitur omnes concordēs et pacati elegunt viros de ipsa hierosolymitana ecclesia mittendos ad Antiochiam, ut patet, ad promulgandum istud decretum et ad confirmandum Pauli et Barnabae ministerium in favorem Gentilium.

22. *Tunc placuit Apostolis, et senioribus, cum omni ecclesia, elegere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba, ludam, qui cognominabatur Barnabas, et Silam, viros primos in fratribus; 23. scribentes per manus eorum.* — ¹⁾ *Notae philol. 1).* Ubi Vulgata vertit: *placuit apostolis... elegere viros*, graece habetur *ἔδοξε τοῖς ἀποστόλοις... ἐκλεξαμένους ἄνδρας* (cf. infra v. 25). Ubi notandum est accusativum (*ἐκλεξαμένους*) sensu saltem esse referendum ad dativum *τοῖς ἀποστόλοις*, quod regitur verbo *ἔδοξε*. Latine ergo haec apparens irregularitas est suppressa per infinitivum *elegere*. Vix autem dicendum est mediam vocem *ἐκλεξαμένους* certo ad *Apostolos*, minime autem ad sequens *ἄνδρας* esse referendam, quasi haberetur: *electos viros mittere*¹⁷⁾; quia si referendum foret ad *ἄνδρας* haberetur passiva forma *ἐκλεχθέντας*. — Irregularitas classicis non ignota; provenit ex eo quod *ἔδοξε* immediate regit infinitivum *πέμψαι*, cuius subauditum subiectum (in accusativo graece legendum) *Apostoli*, nempe, elegerunt sibi (media vox) viros mittendos; hinc et *ἐκλεξαμένους* in accusativo. — 2) Similis irregularitas habetur initio v. 23: *γράφαντες*, quod refertur ad *τοῖς ἀποστόλοις*. At subauditur aliquid, v. gr.: *quod fecerunt, scribentes*... — Demum notetur consuetus semitismus: *διὰ χειρὸς αὐτῶν, per manus eorum*, seu *per eos*; haec expressio praegnans: scribentes epistolam, *per eos* ferendam ad fratres Antiochiaee etc...

Eleguntur a tota communitate concordī Ierusalem Iudas et Silas, qui decretum istud promulgent Antiochiaee. Illi erant Iudaei, et quidem e primoribus Hierosolymitanis. Verbum eorum igitur magni ponderis erit inter Iudaeos Antiochenos, qui secus recusare potuissent verbum Pauli et Barnabae. Initio Ecclesiae, in tanto periculo, iamiam miranda est prudentia, moderatio in principio applicando cum benevolo spiritu conciliationis inter oppositas partes.

¹⁷⁾ Ita v. gr. Auth. Version: chosen men. Item italica versio protestantica a Diodati: certi uomini eletti d'infra loro; simili fere modo Martini: che si mandassero persone elette dei loro. Crampon autem optime: de choisir quelques uns d'entre eux pour les envoyer...

Silas postea apparet tamquam socius Pauli: in Actibus semper (tredecies) vocatur *Σίλας*; dum in epistulis (ter) vocatur *Σιλουανός*. Agitur quidem de una eademque persona; non est tamen unum nomen, seu unius nominis duplex forma aramaea et latina, sed duplex nomen unius viri, nomen nempe aramaeum (cum terminatione attica) et nomen assonans latinum¹⁸⁾.

Iudas Barsabas aliunde non cognoscitur. Num fuerit frater Iosephi Barsabae, de quo supra I, 23 et cuius idem est patronymicum, nescimus. Infra v. 32 ambo, Silas et Iudas, dicuntur *prophetae*, sicut hic dicuntur e *primoribus* inter fratres. Afferunt autem secum sequens decretum:

23. *Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiae, et Syriae, et Ciliciae, fratribus ex gentibus, salutem.* — *Nota philol.* Salutatio initialis graece exprimitur, et optime quidem iuxta classicum stilum epistularem, *χαίρειν*, sicut Iac. I, 1, et ep. Lysiae Act. XXIII, 26. Similiter finalis valedictio (v. 29): *valete ἐρωοσθε*. classica est (cod. Sin. et alii XXIII, 30: *ἐρωοσο*).

Heic habetur primum ecclesiasticum documentum, quod authenticum, prout videtur, verbotenus refertur (Zahn). Accurate determinantur illi quibus destinatur decretum: fratres scilicet christiani, ex gentibus oriundi, viventes Antiochiae, per Syriam et Ciliciam; ubi iudaeo-christiani videntur fuisse plures numero, et ubi revera difficultates inter iudaeo-et ethnico-christianos primo exortae sunt. Non est ergo decretum *universale neque perpetuum* saltem quoad quattuor prohibitiones; sed est *relativum*, quoad loca ubi istae lites apparuerant vel apparere poterant; ideoque *ad tempus* tantum obligabit, quamdiu nempe lites istae timendae erunt¹⁹⁾.

24. *Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non*

¹⁸⁾ Cf. nostrum Comment. I Ep. ad Thessal. I, 1, p. 57.

¹⁹⁾ Notanda est sequens stipulatio inter Canones Apostolicos (n. 63): „Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus, aut omnino quicumque ex sacerdotali consortio comederit carnes, in sanguine animae eius, aut abestitii abreptum, aut suffocatum, deponitor. Hoc enim lex prohibuit. Sin vero laicus fuerit, a communione excluditor“ (secundum Schoettgen, op. cit. I p. 467—468). Collectio horum Canonum fuit redacta circa an. 400 p. Chr. (cf. Tixeront, Précis de Patrologie [ed. 4, 1920] p. 280—281). Frequenter observavi quoslibet Christianos Orientales a sanguine, aut a carne cum sanguine abhorrere. Tribuendusne est talis sensus decreto apostolico, aut generali instinctui Orientalium, religioso vel superstitioso?

mandavimus, 25. placuit nobis collectis in unum, elegere viros, et mittere ad vos cum carissimis nostris Barnaba et Paulo, 26. hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi. — Notandum est quomodo *ex una parte* improbentur isti Iudaeo-christiani, qui *absque mandato* (falsi fratres, dicit Paulus *ad Gal. II, 4*) a Ierusalem (*ex nobis exeuntes*) ad Antiochiam venerint, turbantes animas easque excitantes adversus Paulum; — et simul observa quomodo *ex altera parte* commendentur atque laudentur Paulus et Barnabás, qui vocantur *carissimi nobis*, qui etiam vitam suam pro Iesu eiusque evangelio exposuerunt. „Si dilecti, ita Chrysostomus, non contemnent eos; si tradiderunt animas, ipsi quoque fide digni sunt“. Haec est igitur aperta approbatio tam ipsorum personae quam eorum operis in favorem Gentium. Paulus poterit scribere ad Gal. II, 9: „dexteris dederunt mihi et Barnabae societatis“, id est, in signum societatis concordis et approbationis.

27. *Misimus ergo Iudam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem.* — Iudas et Silas deputantur tamquam authentici testes concilii eiusque decreti. „Oportebat enim, observat merito Chrysostomus, ut non epistula sola compareret, ne dicerent ipsos extorsisse, et alia pro aliis dixisse. Laus Pauli et socii eorum ora obstruxit. Ideo namque neque Paulus solus neque Barnabas solus venit, sed etiam alii de Ecclesia, ne utervis suspectus esset, quia dogma illud amplexus erat, neque ii tantum qui ab Ierosolymis“²⁰⁾.

28. *Visum est enim Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria: 29 ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum (ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων), et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. Valet.* — Hi duo versus continent apostolicum decretum, supra iam explicatum. Notetur accurate inceptio, seu invocata auctoritas: mirandus est, iam in hoc primo sollemni actu magisterii ecclesiastici, supernaturalis sensus Apostolorum nitentium auctoritate divina Spiritus Sancti: „Illud: *Spiritui Sancto* ponitur, ne putarent humanum quid esse; illud vero: *Nobis*, ut discerent ipsos etiam admittendos esse, licet in circumcissione essent“; ita Chrysostomus²¹⁾.

²⁰⁾ In Acta, hom. XXXIII, 3 (P. G. LX, col. 242).

²¹⁾ Ibidem.

Dirigitur decretum ad ethnico-christianos, quibus nil aliud imponitur quam *haec necessaria* etc... Qualis sit haec necessitas, resultat ex supradictis. Fornicatione excepta, si stricte intellegatur de concubitu extra matrimonium, necessitas ista non est absoluta, sed relativa, prout diximus, ad vitandum scandalum iudaeo-christianorum. Cessante periculo scandali, ipso facto in desuetudinem cadat oportet ista concessio quoad fratres ex iudaismo oriundos.

30. *Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam; et congregata multitudine, tradiderunt epistulam.* 31. *Quam cum legissent, gavisii sunt super consolatione.* — Communicatio facta est Antiochiae, coram convocata multitudine credentium Hi autem, cum plerique essent conversi a gentilitate, gaudebant evidenter propter liberationem a iugo legis mosaicae: haec est enim summa epistulae. Gavisii sunt igitur ob consolationem sibi tali decreto allatam.

32. *Iudas autem et Silas, et ipsi cum essent prophetae, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt.* — Erant *et ipsi* prophetae, sicut illi de quibus iam supra pro Ecclesia antiochena facta est mentio XII, I. Hi autem prophetae non sunt stricte intellegendi tamquam divino lumine aucti ad praedicenda futura. Heic intellegantur oportet ceu praedicatores inspirati loquentes verbum Dei, exhortantes fratres eosque confirmantes in bono.

33. *Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos qui miserant illos.* — Consueta valedictio et salutatio inter Orientales haec est: *shelam!* seu pax. Ita dimittuntur abeuntes Iudas et Silas, dum fratres adprecantur eis *pacem*, iter tutum et pacem in Domino. Cf. v. gr. Mc. V, 34; Lc. VII, 50; Ioan. XX, 21, 26; Act XVI, 36.

34. *Visum est autem Silae ibi remanere; Iudas autem solus abiit Ierusalem.* — Versus inexpectatus, postquam dictum est ambos illos abiisse cum pace. Videtur esse recentior glossa ad explicandum, quomodo tamen Silas—Silvanus postea (v. 40) fuerit socius Pauli. Re quidem vera, omittitur in maioribus codicibus Sin., Alex., Vat.; item in editionibus criticis textus graeci Tischendorf, Westcott-Hort, Nestle, Vogels, Soden; atque in ipsa editione critica Vulgatae WW., nam et in codicibus latinis diversimode legitur. Censet tamen Zahn, solum Iudam abiisse,

Silam autem remansisse, prout innuitur sequenti v. 40. Itaque prior pars huius versus ab eodem exegeta ceu authentica servatur: *Visum est autem Silae ibi remanere.*

35. *Paulus autem et Barnabas demorabantur Antiochiae, docentes et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini.* — Protrahit ergo Paulus suum ministerium Antiochiae, in favorem, ut patet, ethnico-christianorum. Mox Barnabas, assumpto Marco, navigabit Cyprum (v. 39). Interim probabiliter accidit dissensio inter Petrum et Paulum, de qua agitur in ep. ad Gal. II, 11—14. Postea vero Paulus, assumpto Sila, profectus est evangelizans Syriam et Ciliciam (v. 40—41).

EXCURSUS DE DECRETO APOSTOLICO.

Recenter multa edita fuerunt studia circa decretum apostolicum, quod legitur Act. Ap. XV, 28—29, atque magna exorta est discordia circa eiusdem interpretationem¹⁾. Discutiunt scilicet

¹⁾ Cf. J. Thomas, *Mélanges d'Histoire et de Littérature religieuse* (1899) I. L'Eglise et les Judaïsants, p. 1—196; J. G. Sommer, *Das Aposteldecret*, in *Theol. Studien und Skizzen aus Ostpreussen*, II, (1889) p. 141—244; F. Blass, *Die Zweifache Textüberlieferung in der Apostelgeschichte*, in *Theol. Studien und Kritiken* LXIV (1894) p. 86—119 (Lucas duas editiones fecisset operis sui, primam magis extensam, quae praecipue in Occidente praevaluit; postea eandem breviasset, qui brevis textus primo in Oriente tantum notus est deinde vero praevaluit ceu canonicus. Haec altera recensio vocatur orientalis seu antiochena [a]; illa autem longior dicitur occidentalis seu romana [b]); cf. H. Coppeters, *De Historia textus Actorum Ap.*, Lovanii 1902; circa decretum p. 156-169; A. Harnack, *Das Aposteldecret und die Blass'sche Hypothese*, in *Sitzungsberichte der Berl. Akademie* 1899, p. 151—176; A. Hilgenfeld, *Das Apostelconcil nach seinem ursprünglichen Wortlaute*, in *Zeitschrift für wissenschaftl. Theol.* 1899, p. 138—149; his duobus ultimis respondet F. Blass, *Zu den zwei Texten der Apostelgesch.*, in *Theol. Stud. u. Krit.* LXXIII (1900) p. 5—28 (cf. de decreto in specie p. 14—23); K. Boeckenhoff, *Das apost. Speisegesetz in den ersten fünf Jahrhunderten* (1903; inquisitio mere historica); G. Resch, *Das Aposteldecret nach seiner ausserkanonischen Textgestalt*, in *Texte und Untersuchungen* (Neue Folge XIII; totius collect. vol. XXVIII; Heft 3; 1905; studium momentosum; cum auctor habeat ceu primaevam recensionem occidentalem, deinceps volvetur discussio circa formam ac sensum decreti, et consequenter circa eius authenticam historicam); H. Oort, *Het besluit der Apostelsynode van Hand. XV in Theol. Tijdschrift* XL

cet tam circa formam primaevam quam circa sensum ipsum decreti; plures in dubium vocant eius historicam authenticam, et alii aliter sentiunt de eius relatione cum epistula ad Galatas, praecipue cum eiusdem cap. II.

Apostolicum decretum circa Legis observationem *ter* in Actis Ap. legitur: cap. XV, 19—20 ubi a S. Iacobo proponitur; cap. XV, 28—29 in epistula mittenda „his qui sunt Antiochiae et Syriae et Ciliciae fratribus ex Gentibus“, denu[m] cap. XXI, 25²).

I. — Recensiones.

Huius decreti in diversis codicibus diversae habentur formae seu recensiones. Omnes, cum variis suis testibus, inveniri poterunt in iam laudato studio clar. D. H. Coppeters, R. B. XVI (N. S. IV, 1907) p. 36—41, ubi reducuntur ad quattuor typos.

(1906) p. 97—112 (contra Resch, reicit recensionem occidentalem, at quattuor prohibitiones recensionis orientalis intellegit sensu stricte morali de vitandis variis formis idololatriae: Verboden wordt dus alleen deelneming aan afgodische plechtigheden, p. 110); A. Seeberg, Die beiden Wege und das Aposteldecree, 1906; A. Harnack, Die Apostelgeschichte, in Beiträge zur Einleitung in das N. T. III, 1908, p. 188—198 (qui prius ceu primaevum habebat textum orientalem, nunc post Resch tenet ut originale[m] recensionem occidentalem); H. Wilbers, Het besluit van het Apostelconcilie, in Studien, an. 39, tom 76, (1907) p. 193—214; W. Sanday, The Apostolic Decree, in Theol. Studien Th. Zahn... dargebracht (Leipzig 1908) p. 317—338; H. Diehl, Das sogenannte Aposteldecree, in Zeitsch. für die neutest. Wiss. X (1909) p. 277—296 (contra Resch et Harnack defendit ceu primaevam recensionem orientalem); H. Coppeters, Le Décret des Apôtres, in Revue Biblique XVI (N. S. IV, 1907) p. 34—58; 218—239 (studium optimum, cuius conclusiones tam exegetice quam historice videntur certae); hunc clare compendiant A. Camerlynck, op. cit. p. 302—308; H. Six, Das Aposteldecree, 1912; Lagrange, Galates (1918) p. XLV sp.; Jacquier, op. cit. (1926) p. 803—808; A. Lemonnyer, Concile de Jérusalem, in Dict. Bible Supplém. Pirot, fasc. VI, 1930, col. 113—120.

²) Textum XV, 19—20 et 28—29 supra explicavimus. Capite XXI, 25 sic sonant verba Iacobi: „De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, non scripsimus, indicantes ut abstineant se ab idolis immolato (*τὸ τε εἰδωλόθυτον*) et sanguine, et suffocato, et fornicatione“. Vulgata S. Cl. virgula separat *idolis* et *immolato*; est error manifestus, qui corrigitur in Vulgatae ed. crit. WW.

Istarum autem recensionum nostra tantum intersunt duae principales sequentes, quae differunt quoad numerum prohibitionum et quoad praeceptum caritatis, quam *regulam auream* vocant.

1. Decretum cum quattuor prohibitionibus, sine regula aurea. Ita legitur in nostra Vulgata, et in textu graeco tam canonico quam critico Nestle, Soden, Vogels; quem textum secuti sumus in commentario praecedenti.

Haec recensio occurrit in omnibus uncialibus graecis, excepto codice Bezae (D), et iam testes habet saeculo secundo Clementem Alexandrinum³⁾ et Origenem⁴⁾. Vocatur recensio *orientalis*.

2. Decretum cum tribus prohibitionibus et cum regula aurea seu praecepto caritatis negative expresso⁵⁾.

Omittitur heic *καὶ πνικτοῦ* (*et suffocato*).

Regula aurea caritatis sic sonat:

Cap. XV, 20: *καὶ ὅσα μὴ θέλουσιν ἑαυτοῖς γίνεσθαι ἐτέροις μὴ ποιεῖν.*

Cap. XV, 29: *καὶ ὅσα μὴ θέλετε ἑαυτοῖς γίνεσθαι ἐτέρω μὴ ποιεῖν.*

Versio latina tradita haec est: *et quae volunt non fieri sibi aliis ne faciant.*

Capite XXI, 25 vero nullus testis iungit tribus prohibitionibus regulam auream.

Ita legitur in codice Bezae (D); eodem modo citatur a S. Irenaeo iam secundo saeculo⁶⁾ et a S. Cypriano⁷⁾. Haec recensio vocatur *occidentalis*.

3 et 4. Recensio autem cum tribus prohibitionibus at sine regula aurea, item recensio cum quattuor prohibitionibus atque regula aurea neglegi possunt: hi sunt enim textus certo corrupti.

³⁾ Paed. II, 7 (P. G. VIII, col. 459—460; Strom. IV, 15 (ibid. col. 1303—1304).

⁴⁾ Contra Celsum VIII, 29—30 (P. G. XI, col. 1558—1563; Comm. in ep. ad Rom. lib. II, 13 (P. G. XIV, col. 905).

⁵⁾ Positive expressum, tamquam verbum Domini, legitur Matth. VII, 12. Cf. nostrum commentarium in Parabolas D. N. vol. II, p. 314 in nota.

⁶⁾ Adv. Haer. III, 12, 14 (in versione latina; PG. VII, col. 908).

⁷⁾ Testim. III, 119 (P. L. IV col. 780).

Quattuor prohibitiones *cum* regula aurea non apparet ante tertium vel quartum saeculum. Tres prohibitiones *sine* regula aurea paucissimos habet testes, codicem textus graeci nullum.

Remanent ergo recensiones duae: *orientalis* cum quattuor prohibitionibus sine regula aurea; *occidentalis* cum tribus prohibitionibus tantum, at cum regula aurea. Testes utriusque ascendunt usque ad medium saeculum secundum: *occidentalis* quidem cum Irenaeo, Cypriano et textu primigenio codicis Bezae; *orientalis* vero cum Clemente Alex., Origene et prototypis uncialium Sinaïtici, Alexandrini, Vaticani.

Quaenam est forma authentica, quisnam est textus corruptus? Cum utrobique habeantur testes antiqui eiusdem auctoritatis et antiquitatis, sola criteria interna hanc quaestionem solvere queunt. Tamquam a priori improbabilem habemus opinionem Blass de duplici authentica recensione lucana Actuum; quinimmo exegetice impossibilis est, nam recensio dicta *occidentalis*, cuius sensus mox apparebit stricte moralis, non respondet historico fini Concilii hierosolymitani.

II. — Sensus

Ut ergo criteriis internis determinetur quaenam fuerit recensio primigenia et authentica, determinandus est sensus utriusque.

1. Secundum recensionem *occidentalem*, pagani conversi: 1) non debent observare legem mosaicam; — 2) abstineant ab *εἰδωλοθύτων καὶ αἵματος καὶ πορνείας*; — 3) non faciant aliis quod sibi fieri nolunt.

Huius recensionis *occidentalis* probat clar. Coppieters sensum esse, non iam levitico-caeremonialem, sed stricte morale.

Quoad adiunctam regulam auream caritatis nulla difficultas, neque quoad fornicationem vitandam; haec enim sunt praecepta moralia. — Vox *εἰδωλόθυστα* potest a priori significare participationem epulis sacris paganis, ergo extensive ipsam idololatriam; et ita sensus est similiter moralis. — Quoad *αἷμα* maior est difficultas. At intenta, prout videtur, suppressio vocis *πικτόν*: *suffocatum* (prohibitum propter *contentum sanguinem*) iam a priori suggerit suspicionem, heic minime agi de *bibendo* sanguine, sed de *effundendo* sanguine seu de homicidio.

Ita manifeste S. Pacianus, Barcilonensis episcopus saec. IV, „Hispaniarum decus“ appellatus, in sua *Paraenisi ad paenitentiam* IV. Citato textu secundum occidentalem recensionem: „*Necesse est ut abstinereatis vos ab idolothytis, et sanguine, et fornicatione; a quibus observantes, bene agetis*“, addit: „Haec est novi Testamenti tota conclusio. Despectus in multis Spiritus sanctus, haec nobis capitalis periculi condicione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur; haec vero tria crimina, ut basilisci alicuius afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda sunt: non enim vitiare animam, sed interficere noverunt... Quid vero faciet contemptor Dei? (*idolothyta*: idololatra). Quid aget sanguinarius? (*sanguis*: homicida). Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum desertor ipsius poterit (i. e. idololatra); aut conservare sanguinem suum, qui fudit alienum; aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violavit?“⁸⁾.

S. Augustinus, qui sanguinis prohibitionem interpretatur de carne non manducanda cum sanguine, refert tamen alios illud intellegere de sanguine humano non effundendo: „Quod alii non sic intellegunt, sed a sanguine praeceptum esse abstinentium, *ne quis homicidio se contaminet*“⁹⁾.

Tertullianus autem idolothyta et sanguinem intellegit de idololatria vitanda et de homicidio: „Sufficit et hic servatum esse moechiae et fornicationi locum honoris sui inter *idololatriam* et *homicidium*; interdictum enim sanguinis multo magis humani intellegimus“¹⁰⁾.

Attamen Augustinus¹¹⁾, Hieronymus¹²⁾ et Ambrosiaster¹³⁾, qui decretum legunt cum tribus prohibitionibus (sicut in recensione occidentali) sed sine regula aurea, *sanguinem* intellexerunt de non bibendo sanguine, sensu legis mosaicae.

Sensus igitur decreti cum *tribus* prohibitionibus, sola traditione considerata, non apparet certus. At internum examen ta-

⁸⁾ P. L. XIII, col. 1083—1084.

⁹⁾ Contra Faustum, lib. XXXII, 13 (P. L. XLII [1886] col. 504).

¹⁰⁾ De Pudicitia, XII (P. L. II, [1878] col. 1054—1055).

¹¹⁾ Op. et loco supra citatis.

¹²⁾ In ep. ad Gal. Lib. II, ad cap. V, 2 (P. L. XXVI [1884] col. 422).

¹³⁾ Ad Gal. II, 1, 2 (P. L. XVII [1879] col. 365—366; heic loco: ab idolothytis legit ab idololatria).

lis textus innuit intentum sensum: evidens enim est suppressionem *πνικτοῦ suffocati*, conecti, cum additione *regulae aureae* caritatis. Hac vero addita illud fuit suppressum, quia huius legalis sensus nullo modo associari poterat cum stricte morali sensu praecepti caritatis. *Suffocato* suppresso, iam non prohibetur *sanguis* bibendus (erat enim et in carne suffocata), sed sanguis non effundendus. Atque eodem modo *idolothyta* intellegebantur prohibita, quatenus ritu religioso sumebantur in epulis sacris.

Ergo, in recensione occidentali, prohibitiones istae habent sensum stricte moralem, sicut adiunctum praeceptum caritatis. Quo titulo decretum apostolicum iure vocatur a Resch: „*das kürzeste systematische Compendium der christlichen Ethik*“¹⁴).

2. Secundum recensionem *orientalem* quattuor sunt prohibitiones sine regula aurea.

Hunc textum, qui legitur etiam in Vulgata editione latina, interpretati sumus de operibus oppositis legi mosaicae. Volunt ergo apostoli, ut ethnico-christiani abstineant a cibis et operibus, quae Iudaeis, ad fidem conversis, maiorem horrorem incutiunt; scilicet 1) ab idolothytis, id est, a carnibus idolis oblatis; 2) a sanguine, et 3) a suffocato, prout praecipitur in Lev. XVII et alibi.

Quarta tantum prohibitio de *πορνεία* vitanda difficultatem parit: hoc est enim praeceptum morale naturale et universale.

Prout iam diximus, haud pauci exegetae, quaerentes quattuor istas prohibitiones in Lev. XVII-XVIII, dicunt voce *πορνεία* designari nuptias inter gradus Iudaeis illicitos, cf. in specie Lev. XVIII, 6-18; ita, praeter alios, Cornely, Holtzmann, Reuss, Loisy, Sommer, Strack-Billerbeck.

At a) litteraria relatio seu dependentia inter decretum apostolicum et capita ista Levitici omnino nulla videtur; decreti enim verba characteristicia *εἰδωλόθνητα, πνικτά, πορνεία* loco citato Levitici non leguntur. — b) Etiam si probari posset prohibitiones quoad alimenta desumptas esse e capite XVII citato Levitici, nondum probatum foret *πορνεία* alludere ad nuptias inter gradus Iudaeis illicitos, de quibus ibidem in cap. XVIII; vox *πορνεία* per se non significat talia conubia. — g) Ideoque quomodo pagani seu ethnico-christiani umquam potuissent

¹⁴) Op. cit. p. 52.

talem vocem intellegere sensu isto extenso, menti iudaicae tantum aptato? — d) Demum, cum sensus vocis *πορνεία* usu universali sit indubius, attente consideranti evidens est illam ab hoc sensu deflecti ob rationes exegeticas: itaque supponitur quod probandum est.

Igitur conexionem inter decretum apostolicum et Lev. XVII-XVIII negamus, atque vocem *πορνεία* intellegimus sensu suo proprio et consueto de fornicatione, seu illicito concubitu extra matrimonium. Allatis autem testimoniis ex auctoribus paganis, ostendimus iam talem expressam prohibitionem neophytis ex gentilitate oriundis minime fuisse supervacaneam.

Quoad sensum igitur utriusque recensionis decreti apostolici concludimus, *occidentalem* continere prohibitiones stricte morales, *orientalem* autem praescribere restrictiones mere caeremoniales ceu mosaico-legales.

III. — Textus originalis.

Nunc quaerendum est, quisnam fuerit textus primigenius et authenticus.

Iterum seposita singulari opinione Blass de duplici lucana recensione Actorum, longe plerique favent textui orientali, prout legitur nempe in Vulgata et in omnibus editionibus criticis graecis, v. gr. Nestle, Soden, Vogels. — Admodum rari tantum exegetae recentes patrocinantur textui occidentali; citantur Hilgenfeld, Resch ac, sub huius influxu, recentius Harnack¹⁵⁾.

Argumenta in favorem recensionis orientalis sequentia adduci possunt¹⁶⁾.

1. Sola recensio orientalis, cum prohibitionibus caeremonialibus seu mosaico-legalibus, respondet occasioni et circumstantiis historicis concilii: agebatur enim de lege mosaica observanda vel non ab ethnico-christianis; cf. XV, 1, 5, 19—20, 23.

¹⁵⁾ Harnack prius, scribens contra sententiam Blass, defenderat ceu primigenium textum occidentalem (Das Aposteldecree... 1899); at in recentiore suo opere (Die Apostelgeschichte... 1908) fatetur se mutasse opinionem praecipue sub influxu operis Resch (ibid. p. 190).

¹⁶⁾ Cf. citatum studium cl. Coppeters in R. B. XVI (N. S. IV, 1907) p. 50—58.

2. Sola recensio orientalis similiter respondet motivo allegato a S. Iacobo in fine orationis suae, v. 21: „Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur“.

Iacobus manifeste recurrit ad Moysen eiusque lectionem *ab antiquis diebus, in omnibus synagogis, singulis sabbatis*, ut det rationem praecedentium prohibitionum; unde dicit: *Moyses enim...* Oportet ergo prohibitiones istae respiciant mosaicam Legem eiusque assiduos auditores et fideles observatores Iudaeos ad Christum conversos. Illae ergo sunt servandae ab ethnico-christianis, ut vitetur Iudaeorum scandalum, ut commercium inter fratres, a tam oppositis religionibus venientes, possibile reddatur. Ita plerique exegetae, prout supra iam diximus, inter quos notentur Wendt, Holtzmann, Knabenbauer, Camerlynck, Coppie-ters et Sales.

3. Admissa recensione orientali tamquam originali et authentica, optima dari potest ratio mutationis in alteram occidentalem; at non vice versa.

Mox enim (iam ad finem primi saeculi, vel certo initio secundi) prohibitiones caerimoniales seu leviticae recensione orientalis in desuetudinem venerunt; inde ergo mutatio. Nonnulli, praecipue autem praedicatores, dederunt decreto apostolico valorem absolutum, universalem, imponendo eidem characterem stricte moralem; pro *εἰδωλόθνητα, αἷμα* et *πορνεία* talis sensus *moralis* non erat impossibilis. At impossibilis videbatur pro *πικρὸν*; hac ergo voce suppressa, addiderunt generalem regulam auream caritatis.

At mutatio a textu occidentali, sensum habente moralem absolutum, ad orientalem cum sensu mere caerimoniali et relativo foret aenigma insolubile.

Etiam heic valet principium criticae textualis: *Lectioni proclivi praestat ardua*. Transitus enim a textu arduo et difficili ad leviolem est naturalis ac fere fatalis; dum e contra nequit intellegi transitus a lectione facili et obvia ad obscuram et difficillimam. Iamvero heic, considerata doctrina ethica Novi Testamenti, recensio occidentalis cum sensu ethico absoluto est simplex; difficillis autem intellectu atque mere temporanea ac relativa fuit significatio et obligatio recensione orientalis. Quomodo ergo decursu traditionis ecclesiasticae factus fuisset

transitus a sensu morali evangelico ad sensum legalem mosaicum? Repetimus, quod supra iam conclusimus: hoc foret aenigma insolubile. Ergo altera hypothesis, existente duplici recensione, est ineluctabilis: antiquior atque authenticus est textus arduus seu orientalis.

4. Considerationes demum historicae idem innuunt. Non loquimur de ecclesiis orientalibus, ubi abstinebant et adhuc plerumque anxie abstinent a carne suffocata et a sanguine. Sed et in ecclesiis nonnullis Occidentis, quae tamen legebant decretum cum tribus prohibitionibus (sine *suffocato*), observabant christiani abstinentiam a sanguine: ita v. gr. in ecclesia Lugdunensi teste Biblide¹⁷⁾, in ecclesiis Africae septentrionalis teste Tertulliano¹⁸⁾, et in ecclesiis quas novit Minucius Felix¹⁹⁾. Quibus testimoniis citatis, concludit Coppieters: „C'était donc à la fin du second siècle déjà une pratique commune chez les chrétiens de l'Occident“²⁰⁾. Haec autem observatio non potest dependere a Vetere Testamento, cuius alias stipulationes caerimoniales non observabant isti; sed tribuenda est primaevo decreto apostolico in sua forma orientali, sive immediata eiusdem cognitione vel traditione, sive mediante praedicatione illorum qui idem cognoscebant.

Haec argumenta, nostro iudicio, probant cum certitudine, primaevo textum apostolicum fuisse illum qui exhibet quatuor prohibitiones, absque regula aurea caritatis: huius textus sensus erat relativus, quoad vitandum nempe scandalum Iudaeorum; ideoque non obligabat nisi Gentes, ubi et quamdiu foret talis scandali periculum. Hic sensus solus, seu mosaico-legalis, quadrat cum contextu et cum historia primitivae Ecclesiae. Hic sensus demum tam certo requiritur, ut, si probari posset origina-

¹⁷⁾ Eusebius, H. E. V, 1, 26 (ed. Grapin II [1911] p. 24—25; P. G. XX, col. 419): „Qui fieri posset, inquit, ut infantes comederent [christiani], quibus ne sanguinem quidem animantium degustare licet“.

¹⁸⁾ Apolog. adv. Gentes, cap. IX. „Erubescat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus; qui propterea suffocatis quoque et morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto“ (P. L. I [1879] col. 376).

¹⁹⁾ Octavius, cap. 30. „Nobis homicidium nec videre fas est, nec audire; tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibus sanguinem noverimus“ (P. L. III [1886] col. 349).

²⁰⁾ Cf. citatum studium RB. XVI (1907) p. 58.

lem ac primigeniam fuisse recensionem occidentalem, decreti historicitas et authentia neganda foret, utpote circumstantiis historicis omnino contrarii.

— Sequenti schemate compendiantur omnia quae hucusque dicta sunt de duplici recensione, *orientali et occidentali*, decreti apostolici, et de *transitu* recensionis orientalis primigeniae in occidentalem derivatam.

ORIENT.	{ omnes unciales, excepto D., Ori- genes, Cl. Alex. Vulgata	{ 4 prohib. sine reg. aurea	{ sensus caer. primitivus	{ obligatio relativa temporanea; ideo forma authentica
OCCID.	{ codex Beza (D) Iren. Cypr.	{ 3 prohib. cum reg. aurea	{ sensus mor. derivatus	{ obligatio absoluta, perpetua; ideo forma posterior

IV. — Authenticitas.

Historica authenticitas decreti a multis criticis hodie negatur, saltem secundum recensionem orientalem, et quidem praecipue propter differentiam inter Acta XV et Gal. II; heic enim, ubi agitur etiam de conventu apostolico, vindicatur plena libertas apostolatus paulini inter Gentes, nulla mentione facta de istis quattuor prohibitionibus leviticis. Unde quidam exegetae, catholici praecipue, post V. Weber, negarunt identitatem inter utrumque locum citatum, ut facilius defendere possent authenticitatem et historicitatem decreti apostolici. Sed identitas inter Act. XV et Gal. II, de qua plura mox, videtur omnino admittenda; qua admissa tenemus, contra authenticitatem historicam decreti apostolici nihil solidi allegari posse.

Prae omnibus ergo considerandus est verus sensus huius decreti: formaliter continet et *promulgat legis abrogationem pro Gentibus qui ad Christum convertuntur*; subsidiarie autem concedit aliquid conscientiae iudaicae, propter rationes nempe relativas et temporaneas imponuntur ethnico-christianis prohibitiones quaedam caerimoniales, ne horum libertas fiat in scandalum aliorum.

Formalis statuti, seu abrogationis legis pro ethnico-christianis, probatur authenticitas ex contextu et circumstantiis historicis. Nam secundum Act. XV, 1 et 5 haec erat plane quae-

stio: Utrum imponenda esset lex Gentibus convertendis ad Christum? Responsum autem fuit negativum, quod et posterioribus factis confirmatur; nam dum admissio pagani haud circumcisi in Ecclesiam paulo antea causa fuerat magnae admirationis et scandalii (Act. X-XI), postea vero fuit res omnino ordinaria et omnibus probata; ita Paulus ad Gal. II: „3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi... 7. Sed e contra cum vidissent quod creditum est mihi evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis..., 9. et cum vidissent gratiam, quae data est mihi, Iacobus, et Cephas, et Ioannes... dextras dederunt mihi et Barnabae societatis“.

Authenticitas ergo decreti, quoad partem formalem seu Legis abrogationem, historice bene probatur. — Hinc iam habetur suspicio in favorem partis secundariae imponentis aliquot restrictiones caerimoniales.

Contra illam vero obiciunt quidam praecipue Resch et Seeburg, dicentes.

1. Decretum istud imponens prohibitiones mosaico-legales opponitur manifestae doctrinae Christi severe increpantis observantias Iudaeorum, cf. v. gr. Matth. XV et Mc. VII. Reclatur hoc unum asperrimum dictum Domini: „Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem (Matth. XV, 11). Quomodo potuissent Apostoli, memores doctrinae Christi, imponere abstinentiam a sanguine, a suffocato, ab idolothntis? Ista potius videntur a Iudaeo-christianis conficta, ac probabilius contra doctrinam et actionem Pauli. Decretum igitur in recensione orientali, cum sensu caerimoniali, nequit ceu authenticum haberi.

Respondetur. Admissa auctoritate citata, nullus tamen negare potest factum, voluntatem nempe Iudaeo-christianorum imponentium circumcisionem ceu condicionem ingressus in Ecclesiam, Act. XV, 1—5. De cetero, adhuc postea Iacobus et discipuli Ecclesiae hierosolymitanae, „omnes aemulatores sunt legis“ (Act. XXI, 20).

Christus igitur probabilius numquam expressis et claris verbis declaravit Legem esse abrogandam. Citata verba enim improbant vanas Iudaeorum traditiones, propter quas transgrediuntur mandata Dei, solliciti tantum de externa puritate, in-

terna neglecta. Cum increpassent enim Pharisei discipulos, quod non lavarent manus suas priusquam manducarent, respondit Iesus dicens: „Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?“ (Matth. XV, 3).

Demum, iterum atque iterum notandum est, Apostolos non imponere legem, e contra; sed tantummodo quaedam consulunt vitanda, motivo caritatis.

2. Observant decretum, prout a nobis intellegitur, opponi epistulis paulinis; ad cuius probationem allegant varios textus. Frequenter enim docet Apostolus absolutam indifferentiam alimentorum, v. gr. I Cor. VIII, 8: „Esca... nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus; neque, si non manducaverimus, deficiemus“; et clarius adhuc I Cor. X, 25: „Omne quod in macello vaenit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 26. Domini est terra et plenitudo eius. 27. Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam“. Cf. etiam Rom. XIV, 14 et 17; Hebr. XIII, 9.

Respondetur. Utique Paulus, consequens principio abrogatae Legis, proclamat manifesto indifferentiam ciborum. Attamen haud minus manifesto docet caritatem omnibus eminere, atque, propter caritatem, reputatum immundum cibum esse relinquendum. Si ergo periculum adsit scandali, oportet omittant fratres, quod sibi tamen indifferens foret. Ita v. gr., citato loco I Cor. VIII, pergit Apostolus: „9. Videte autem ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis etc...“; item et in altero textu eiusdem I Cor. X, „28. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis; nolite manducare propter illum qui indicavit et propter conscientiam; 29. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius... 32. Sine offensione estote Iudaeis et Gentibus...“. Cf. etiam Rom. XIV, 20 seq...

Idem ergo principium dominatur orationi Iacobi in conventu apostolico atque in epistulis paulinis: abrogata est lex pro ethnico-christianis; attamen in eorundem relationibus cum iudaeo-christianis prae omnibus regnet caritas et vitetur conscientiae offendiculum seu scandalum.

Notandum autem est alias supponi circumstantias historicas et sociales in Actis XV, alias in epistula I ad Corinthios: tempore concilii adhuc frequens et fere fatalis supponitur occasio

scandali, prout apparet ex facto antiocheno; sed decem annis postea, et in provinciis magis remotis a Palaestina, iam erat occasio scandali rarior et extraordinaria. Unde Paulus audacius affirmat libertatem non discernentem inter cibos, et nonnisi tamquam exceptionalem supponit possibilem casum scandali. Ideo, talibus in adiunctis, non erat ratio repetendi prohibitiones istas mere relativas: cessante condicione, cessat et condicionatum.

— Alii textus paulini, qui citantur, non tractant de eodem. Sic. v. gr. Col. II, 21 ubi Paulus scribit: „*Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis*“, non loquitur nomine suo, sed repetit iudaeorum stolidia verba anxie vitantium infinitas posibles immunditias legales, creatas et multiplicatas pharisaica casuistica ²¹⁾. Unde illa condemnans, addit Apostolus ibidem v. 22: „*Quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecepta et doctrinam hominum*“. — Item, ubi loquitur de „*spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum*“, I Tim. IV, 1, minime designat stipulationes mosaicas Legis quae est a Deo, sed erroneam doctrinam encratistarum „prohibentium nubere“ (ibid. v. 3).

3. Obiciunt dissensionem publicam inter Petrum et Paulum, quae narratur Gal. II, 11 sq.; talis enim dissensio videtur impossibilis, si iam antea editum fuisset decretum apostolicum.

Respondetur, in decreto apostolico et in ista dissensione, revera de alia quaestione agi: in decreto enim consideratur tantum ethnico-christianorum habitus ad Legem; dum vero dissensio illa resultat ex modo agendi erga iudaeo-christianos.

En factum: Petrus manducabat cum Gentilibus, quod erat illicitum Iudaeis; unde praxi ostendit Cephas se habere legem ut abrogatam. At supervenientibus iudaeo-christianis „subtrahabat et segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi eius consenserunt ceteri Iudaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem“ (v. 12—13). Tunc restitit ei Paulus et increpavit eum.

Attente igitur consideranti apparet hic a Paulo fieri novum passum in derelinquenda Lege: Petrus, hucusque manducans cum Gentilibus, timet adhuc scandalum zelatorum Legis. Paulus e contra aestimavit venisse horam, qua oportebat despici tale scan-

²¹⁾ Schoettgen, op. cit. p. 819; et Strack-Billerbeck, op. cit. III, p. 629.

dalum Iudaeorum, praecipue si ex separatione sequerentur ethnicorum scrupuli; ergo publice restitit Petro affirmans libertatem christianorum manducandi etiam cum Gentibus. Agitur de iudicio in casu concreto perplexo: audacior procedit Apostolus Gentium in favorem libertatis evangelii et gratiae, Lege derelicta. Psychologice igitur plane intellegitur varius modus agendi Petri et Pauli, si consideretur decretum nihil dixisse de ipsis iudaeo-christianis. Ac si timidus appareat Petrus, „conversationis fuit vitium, non praedicationis“, optime notante Tertulliano²²⁾.

4. Demum admissio Cornelii centurionis ad gratiam baptismi, nulla imposita lege mosaica, ne quidem circumcisione (Act. X—XI), allegari nequit contra historicitatem decreti.

Nam factum istud erat extraordinarium, utpote miraculosum. Ideoque non supponit legem iam abrogatam; sed e contra introducit, Dei voluntate manifestata, imminentem Legis abrogationem, prout ipse Petrus in concilio declarat, XV, 7. Attamen tam theoreticum quam practicum dubium quasi generale subsistere poterat post illud factum: considerari enim poterat tamquam exceptio, tamquam singularis Dei permissio, minime vero tamquam generalis lex pro tota Ecclesia in tempore venturo.

V. — De relatione inter Act. XV et Gal. II, 1—10.

Praenotanda. — I. ITINERA Pauli in Ierusalem.

Primum, tertio anno post conversionem (an. 36, ergo an. 38 vel 39); Gal. I, 18.

Secundum, occasione famis, ducente Barnaba (an. 44); Act. XI, 30—XII, 25.

Tertium, occasione concilii Apostolici (Act. XV) post primam missionem apostolicam (Act. XIII, 4—XIV, 28). Post annos quattuordecim a conversione, seu anno 49; Gal. II, 1.

Quartum, probabiliter post secundam missionem apostolicam (Act. XV, 35—XVIII, 22) anno 52. Dicitur „probabiliter“, quia verba Act. XVIII, 22 non sunt explicita: „Et descendens Caesaream, ascendit (quo? respondent plerique: *in Ierusalem*) et salutavit Ecclesiam, et descendit Antiochiam“.

²²⁾ Liber de Praescriptionibus, cap. 23 (P. L. II, col. 42).

Quintum, post tertiam missionem apostolicam (Act. XVIII, 23—XXI, 15) anno 58; sequitur captivitas.

2. TEXTUS ep. ad Gal. II. 1—10.

1. Deinde post annos quattuordecim, iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. 2. Ascendi autem secundum revelationem; et contuli cum illis evangelium quod praedico in gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. 3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi; 4. sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitute redigerent, 5. quibus neque ad horam cessimus subiectione, ut veritas evangelii permaneat apud vos. 6. Ab iis autem qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest; Deus personam hominis non accipit); mihi enim qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt. 7. Sed e contra cum vidissent quod creditum est mihi evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis, 8. (qui enim operatus est Petro in Apostolatam circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes); 9. et cum cognovissent gratiam quae data est mihi, Iacobus, et Cephas, et Ioannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi et Barnabae societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem; 10. tantum ut pauperum memores essemus: quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.

Status quaestionis. — Quaeritur utrum agatur in utroque textu, Act. XV et Gal. II, 1—10, de eodem an de diverso itinere Pauli in Ierusalem; aliis verbis: quaeritur utrum agatur in ep. ad Gal. II, 1—10 de concilio apostolico, de quo agitur in Act. XV.

Propter nonnullas differentias quae inter utrumque locum occurrunt, atque praecipue quidem propter Pauli silentium, in epistula ad Galatas, circa quattuor prohibitiones, exegetae aliquot moderni concluderunt non de eodem itinere agi, insuper ipsam epistulam ad Galatas esse scriptam ante concilium hierosolymitanum.

In epistula igitur ad Galatas, cap. II, 1—10, ageretur de itinere antecedente concilium; ideo de secundo Apostoli itinere in Ierusalem cum Barnaba occasione famis (Act. XI, 27—30; XII, 24).

Dubium tantum agitari potest inter hoc secundum iter occasione famis, et tertium occasione concilii. Nam de primo itinere, occasione scilicet conversionis, agi nequit; ipso tenore epistulae ad Galatas hoc excluditur, cum de primo isto itinere distincte

agatur in capite praecedenti, I, v. 18. — Neque de posteriore quodam itinere potest esse quaestio, id est sive post secundam sive post tertiam missionem apostolicam; quia tunc Barnabas iam non erat socius Pauli, prout apparet ex Act. XV, 36—40, dum pro conventu apostolico ascenderunt simul Barnabas et Paulus in Civitatem Sanctam, prout etiam supponitur Gal. II, 1—10.

Ergo in epistula ad Gal. II, 1—10 agitur vel de secundo itinere hierosolymitano occasione famis, vel de tertio occasione concilii.

Contra antiquam, et adhuc communem, opinionem nonnulli exegetae tam catholici quam protestantes, praecipue Val. Weber antiseignano, censent in epistula ad Galatas cap. II, 1—10 non agi de concilio hierosolymitano (*tertio* itinere), sed de itinere Pauli et Barnabae in Ierusalem occasione famis (*secundo* itinere), vel de aliquo intermedio haud relato. Ita, post Weber²³), Belser²⁴), Gutjahr, Röhm, Mader²⁵) Le Camus²⁶), L. Ten Bokum²⁷), hi omnes catholici; Ramsay²⁸), Sanday²⁹), Douglass Round³⁰), C. W. Emmet³¹), exegetae protestantes. — Quod si Gal. II, 1—10 ad concilium velint referre, saltem II, 11—14 seu dissensionem inter Petrum et Paulum, dicunt ante II, 1—10 accidisse, et quidem ante conventum hierosolymitanum statim post primam Apostoli missionem, ita v. gr. C. H. Turner³²).

²³) Abfassung des Galaterbriefes vor dem Apostelkonzil (1900); Der hl. Paulus vom Apostelübergang (Gal. II, 1—10) bis zum Apostelkonzil (Apg. XV), in *Bibl. Stud.* VI (1901) p. 141—186; Die Frage der Identität von Gal. II, 1—10 und Apg. XV, in *Bibl. Zeitschrift* X (1912) p. 155—167.

²⁴) Einleitung in das N. T. (1905), p. 436—438, 445.

²⁵) Hos tres citat asseclas opinionis suae V. Weber, l. cit. *Bibl. Zeitschr.* p. 167.

²⁶) L'oeuvre des Apôtres II (1905) p. 118.

²⁷) Nederl. Katholieke Stemmen VI (1906) p. 46—56.

²⁸) St. Paul the Traveller and Roman Citizen, ch. VII, p. 152—166.

²⁹) The Apostolic Decree (*Theol. Stud.* Zahn; supra cit.) p. 317—338.

³⁰) The Date of St. Paul's Epistle to the Galatians (1906); cf. recensionem P. Magnien in *RB.* XVI (N. S. IV, 1907) p. 435—437.

³¹) Expositor XXXVI (1910) p. 242—254; citatur a Weber, *Bibl. Zeitsch.* l. cit. p. 167.

³²) Chronology of the N. T. in Hastings' *Dict. Bible*, I, p. 424 a.

Iam ostendimus, absque ulla vi dissensionem inter duos Apostolos psychologicè explicari posse *post* concilium; ideo ordine narrationis Gal. II, 1—10, 11—14, servato, ostendemus: A. tales haberi similitudines inter Acta XV et Gal. II, 1—10, quae probent identitatem facti narrati; — B. differentias inter Acta XI et Gal. II, 1—10 omnino esse irreductibiles. — C. Demum ex vario scopo utriusque narrationis explicantur differentiae, quae habentur inter Act. XV et Gal. II, 1—10³³).

A. *Similitudines inter Act. XV et Gal. II, 1—10.*

1. In utroquè loco eadem personae ascendunt Hierosolymas: in Actis, Paulus et Barnabas et alii ex illis (XV, 2); in ep. ad Gal., Paulus et Barnabas, et inter alios ex illis assumpto Tito (II, 1).

Idem est itineris scopus, eadem occasio, eadem difficultas solvenda, scil. de circumcidendis Gentilibus vel non seu de admittendis Gentibus ad messianicam salutem sine vel cum Lege (Act. XV, 5; Gal. II, 3—5).

Eadem personae concilio intersunt: Paulus et Barnabas ex una parte, ex altera adversarii iudaizantes; et qui collegium apostolicum simul atque ecclesiam hierosolymitanam repraesentant, Petrus nempe et Iacobus (Act. XV, 2, 7, 13; Gal. II, 2, 4, 9).

Denique substantialiter eadem est declaratio: non-obligatio pro ethnico-christianis; ideoque Titus, gentilis natus, non est circumcidendus (Act. XV, 7—11; 19; 28; Gal. II, 3, 5, 9—10)³⁴).

2. Indicia chronologica eandem conclusionem confirmant: in utroque textu enim supponitur Paulum, simul cum Barnaba, iam diu cum fructu inter Gentes praedicasse. At quando ascenderunt Hierosolymas ad sublevandos fratres occasione famis, seu

³³) Cf. A. Steinmann, Die Abfassungszeit des Galaterbriefes (1906). Pro identitate sufficiat citasse sequentia nomina: Brassac, R. B. XXII (N. S. X. 1913) p. 210—214; Camerlynck, op. cit. p. 286—287; Coppeters, RB. XVI (N. S. IV, 1907) p. 233 sq.; Hoepfl, Introd. spec. in N. T. (ed. 2, 1926) p. 264; Lagrange, Galates (1918) p. 23—24 (concise et optime); Ruffini, Chronologia V. et N. Test. (1924) p. 172—174; Jacquier, op. et l. cit.; Lemonnyer, Dict. Bible Supplément, art. cit. II, col. 115.

³⁴) Parallelismus inter Act. XV et Gal. II, 1—10 lucide exponitur tam a R. P. Lagrange l. cit. quam a cl. D. Ruffini, op. cit. p. 172, 3.

ante primam apostolicam missionem, nondum aut nonnisi brevi tempore et quidem Antiochiae tantum (Act. XI, 25—26) praedicaverant. Ex altera parte, post concilium, ante secundam missionem apostolicam, Barnabas dereliquit Paulum.

Ergo post primam missionem, in itinere pro concilio hierosolymitano, inveniuntur coniuncta omnia indicia chronologica et historica, supposita in utroque textu.

3. Demum, nonne a priori improbabile est tale factum, in adiunctis tam similibus (ne dicam, identicis) his brevi temporis intervallo accidisse? Insuper cum iter occasione famis ponendum sit tempore mortis Herodis Agrippae (an. 44), cum ex altera parte in ep. ad Gal. II Paulus diserte declaret se pro hoc itinere ascendisse Hierosolymas decimo quarto anno post suam conversionem; sequeretur, nova opinione admissa, conversionem esse ponendam anno 30 aut iam antea; — quod ob multas rationes admitti nequit³⁵).

B. *Differentiae inter Act. XI, 27—30 et Gal. II, 1—10.*

Secundum Act. XI, 27—30 utique Paulus et Barnabas ascenderunt Hierosolymas, sed de eorum sociis nulla fit mentio.

Similiter in eodem loco nulla est quaestio de illorum adversariis; non movetur quaestio de obligatione vel abrogatione circumcisionis; nulla fit mentio de Apostolis Petro et Iacobo, — quinimmo Act. XI videntur Apostoli a Ierusalem abesse propter saevientem persecutionem.

Uno verbo in Act. XI, 27—30 et Gal. II de omnino diversa re agitur: in Actis de sublevandis pauperibus Ierusalem occasione famis; in ep. ad Gal. II de conferendo evangelio Pauli cum doctrina Apostolorum, ideoque de imponenda Gentibus vel abroganda Lege.

C. *Differentiae demum inter Act. XV et Gal. II, praecipue vero silentium hoc ultimo loco circa quattuor prohibitiones, explicantur diverso scopo utriusque narrationis et attento sensu formali decreti apostolici.*

³⁵) In recenti studio circa chronologiam paulinam scribit Brassac concludendo: „Conversion de S. Paul, probablement en 36; pas avant 34, ni après 37“ (R. XXII [N. S. X, 1913] p. 216).

Dum in Actis nempe Lucas more suo partes agit historici, accurate facta referendo prout gesta sunt; Paulus e contra, in epistula ad Galatas, facta considerat sub aspectu personali et apologetico, ita ut appareat eius independentia ab Apostolis et simul eius evangelii authentia et veritas ab Apostolis agnita. Ideo non loquitur de prohibitionibus caerimonialibus, quae ceteroquin nonnisi secundariae et temporanae erant in decreto, dum proclamata a Petro et Iacobo libertas Gentium respectu Legis erat essentialis.

Haec eadem ratio explicat, quare Paulus in epistula ad Galatas, ubi loquitur de itineribus suis in Ierusalem, non recolat iter occasione famis. Itinera enim haec referebat, in quantum per ea videbatur ipse consentiens Apostolis; at in isto itinere occasione famis nullum videtur vidisse ex illis, qui probabiliter tunc aberant a Civitate Sancta.

Nihil igitur obstat, quominus retineatur traditionalis sententia quoad identitatem narrati facti Act. XV et Gal. II, 1—10, prout innuitur parallelismo regnanti inter utrumque locum.

Romae, e Collegio Angelico.

I. - M. Vosté, O. P.